



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 108. Isabella Regia Castellæ Filia a Lusitano Rege in Sponsam petita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.
A. C. 1496.

§. CVIII.

*Isabella regia Castellæ filia a Lusitano
Rege in Sponsam petita.*

*Marian.
l. cit. n. 73.*

Communi voto cuncti Proceres exoptabant, ut Lusitanix Rex tum vigesimum sextum ætatis suæ annum jam egressus, tori sociam sibi deligeret, nec uberius regno prosperitas accedere credebatur, quam si Rex Catholicus novo affinitatis vinculo Emanueli devinciretur. Equidem Hispano quatuor filiarum erant, quarum reliquas ætate præcedebat Isabella, eamque sequebatur Joanna, & tertio genita extitit Maria, ultima denique Catharina; ex his Joanna in Flandriam abiit Philippo Archiduci desponsata, Catharina vero Arturo primogenito Angliæ Regis filio in conjugem destinata erat, & Isabella, quam Alphonsus nonnisi duodeviginti annos natam viduam reliquerat, sui juris erat, hinc Ferdinando sola supererat Maria, quam ejus Pater lubenti quidem animo Lusitanix Regi in matrimonium dedisset, Emanuel vero illam respuebat; cum enim Isabellam natu majorem ejusque merita jam eo tempore, quo juveni Alphonso Principi juncta erat, perspecta haberet, semper illam plurimi habebat, teneramque amicitiam erga eandem conservabat.

servabat: Cum ergo Rex Catholicus Sæcul. XV. A. C. 1496.
semper propriæ (*) utilitati intentus
esset, Isabellam induxit, quatenus inter
prima nuptiarum pacta, ut Mauros ac
Judæos regno suo expelleret, ab Ema-
nuele peteret, eidemque exponeret, nun-
quam se nupturam Principi, cujus re-
gnum Christi ac fidei orthodoxæ hostium
receptaculum esset.

§. CIX.

*Edictum Lusitanicæ Regis adversus
Mauros & Judæos.*

Lusitanicæ Rex, cum matrimonii cum
Isabella ineundi desiderio æstua-
ret, cuncta quæ illa petebat, ingenti facilita-
te pollicitus est, hacque super re Sena-
torum suorum sententias rogavit, quo-
rum tamen potissima pars Regis voto ob-
luctabatur; Nihilominus spretis horum Marian. l. 6.
consiliis, Rex exeunte hoc anno novum
edictum promulgari præcepit, quod prio-
ri, cujus supra meminimus, prorsus op-
positum

(*) Forte melius: *Religionis Catholicæ in-
cremento intentus.* Si enim Rex Catholicus
privato magis, suoque quæstui quam commu-
ni fidei commodo intentus fuisset, nec ipse
Judæos regno suo expulisset, cum ab eis haud
exiguas tributorum pensiones sperare po-
tuisset.